



CONCIONES DVÆ

De

SALVTARI VERBI DIVINI

AVDITV, TANQVAM PRÆPARATORIÆ,

PRÆMISSÆ EXPLANATIONI S. PRO-

PHETÆ HOSEÆ.

CONCIO I.

EX JOHAN. 10. vers. 27. sequent.

27. Oves illæ meæ vocem meam audiunt, & ego eas agnosco, & sequuntur me:
 28. Et ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam è manu meâ.
 29. Pater ille meus, qui mihi dedit eas, major omnibus est: neq; quisquam potest eas eripere è manu Patris mei.
 30. Ego & pater unum sumus.



ANCTA DEI ECCLESIA, quam non auro vel argento corruptibili, sed pretioso suo acquisivit sanguine, inter alia, quibus appellatur, nomina, à D. Apostolo vocatur *Domus Dei*. 1. *Timoth.* 3. 15.

Vt autem æquum est, ut cujusvis Patrisfamiliæ vox in sua familia audiatur eique obediatur: Ita æquitati nihil magis consentaneum est, quàm Dei vocem in sua domo perpetuò resonare, ut inde de ejus voluntate filiifamiliæ rectè edoceantur.

Cùm igitur Deum in libro Psalmorum nobis loquentem hæcenus in sua domo audiverimus, nostri officii esse nemo non agnoscit, deinceps ejusdem jussû, mandatum, & voluntatem ex alio aliquo Sacri Voluminis Biblici Libro cognoscere.

Hoc ut majori cum fructu fiat, horum Christi verborum prælectorum tractationem, quasi præparationem quandam præmittemus.

Sunt illa pars gravissimæ colloquii Christi, habiti cum Iudæis, in quo illa quæstio disceptata est: Num Christus sit promissus ille Messias?

Ad quam quæstionem Christus respondens, & Iudæis incredulitatem ipsorum exprobrat, & se Christum esse demonstrat ex effectis, nempe factis seu operibus Christi propriis 7. 25.

Sic autem incredulitatem suam eis exprobrat, ut contra ad eam magis patefaciendam, veras suas oves describat:

I. Ex propria earum notâ.

II. Ex earum felicitate.

Notam earum propriam sic exprimit: *Oves meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me.* Hoc est. Veræ meæ oves inde

dignosci possunt, quòd vocem meam audiunt, & in me juxta auditam vocem, credunt, sequuntur item me, scilicet in doctrina, fide, invocatione, obedientia, patientia, totaque vitæ sanctitate.

Felicitatem eorum sic exponit:

1. *Ego novi eas*: Nempe notitiâ approbationis, dilectionis, & gubernationis.

2. *Et ego vitam æternam do eis*, h. e. æternum eos beo & salvos facio.

3. *Nec peribunt in æternum, neque rapiet eas, &c.* Perseverantiam tum in fide, tum in statu felicitatis notat.

4. Simul autem causam perseverantiæ indicat, docens eam pendere à suo tanquam Pastoris præsidio: Et hujus præsidii firmitatem ac certitudinem probat à comparatione sui cum patre: Nempe *unus Deus*, potentia Dei, potentiam Diaboli, & omnium ejus organorum longissimè superat, 7. 29. 30.

DOCTRINA.

Omnes eos, qui veræ oves Christi, non tam nomine, quàm re, audire volunt, teneri Pastoris sui vocem semper audire, h. e. Omnium verè fidelium esse, Deum indefinenter in verbo suo per Sacrosanctum suum Ministerium loquentem audire. Vt docemur.

I. In præsent. ipsius Christi verbis, &c. *Et* 8. 47. *Et* 5. 39.

II. Alibi passim. *Deuter.* 6. 6. *Et* 11. 18. *Et* 31. 11. *In Psalmis sæpius*: 102. 22. *Et* 119. 1. 1. *Petr.* 2. 2. 2. *Petr.* 1. 19. *Heb.* 10. 7. 25.

Vsus.

Pædia & hortatio:

Vt & nos omnes eodem modo affecti simus, moti & extimulati.

I. Ipsius Dei mandato, tum modò citatis locis, tum alibi expresso, &c.

II: Quòd